Wf
5-66

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-41139-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-41139-p0002-4

h. 66, b.

W
566

IN EXEQVIIS
ILLVSTRISSIMI DVCIS SAXONIAE
FRIDERICI
VVILHELMI
Oratio:

Habita in Academia Lipsica gratæ recordationis causa:

à

MATTHÆO DRESSERO

Die XV. VIIIb. Anno 1602.

MICHAEL LANTZENBERGER
EXCVDEBAT.

Impensis IACOBI APELII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO IOANNI SAXONIÆ DVCI, Duringiæ Landgrauio, Misniæ Marchioni, Domino suo clementissimo.

ILlustrissime Princeps, Domine Clementissime, quod in mandatis habuimus ab Illustrissimo Principe ac Domino, Domino Christiano II. Duce Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Archimarschallo & septemuiro, Domino nostro Clementissimo, id pro fide & obedientia, quam suo Domino ac Magistratui debent subditi, executi sumus, & Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Friderico Guilelmo, Saxoniæ Duci, in templo Paulini Collegij decenti ritu & frequente conuentu Academiæ & Senatus Politici parentauimus.

uimus. Non enim ſanctum eſt obliuiſci beneficiorum, quæ ab Illuſtriſſima eius Celſitate in nos omnes & ſingulos toto decennio, quo Septemuiratum Saxoniæ adminiſtrauit, collata ſunt. Iccirco iure omni gratis mentibus ea repetiuimus, prædicauimus, &, quoad eius facere potuimus, amplificauimus. Cum autem more quodam rerum humanarum fiat, vt facilè ex animis effluant, quæ ſine ſcripto verbis efferuntur: ſapienter ſimul & grauiter ab Illuſtriſſimo Septemuiro, Domino noſtro Clementiſſimo, præceptum eſt, vt typis deſcripta oratio, quæ in hoc parentationis actu habita eſt, cum omnibus communicaretur. Futurum eſt abſq; dubio, vt iſto pacto res ab Illuſtriſſimo Duce Friderico Guilelmo geſtæ, quaſi monumento cuidam conſecratæ in memoria poſteritatis hæreant firmiùs. Patria & Auita hæc eſt Saxoniæ Principum virtus, vt & ſapienter Rempub. adminiſtrent, & religionis, literarum, iuſticiæ, pudoris, & diſciplinæ curam ſuſtineant. Quæ decora cum de Friderico Guilelmo omni ratione

prædicari poßint, meritò paternæ laudis præconium, & ſapientis moderatæq; gubernationis teſtimonium in hac oratione ei tribuitur.

Cum autem fraternæ gloriæ ſocietas ad tuam Celſitatem Joannes Sax. Dux inclyte, multò maxima ex parte pertineat: non committendum eſſe exiſtimaui, vt abſq; mentione nominis tui inclytiea in vulgus exiret. Nec officij ſatis memor eſſe viderer, niſi tuæ Celſit. cuius patrocinio, fidei, virtuti, ac tutelæ liberi impuberes Friderici Guilelmi Ducis commendati ſunt, hunc parentationis actum conſecrarem Quodigitur à pio & debito erga Illuſtriſsimam tuam Celſitatem ſtudio proficiſcitur, id, vt pro innata clementia tua placidè accipias, prece humili contendo. Lipſ. Calend. Nouemb. Anno 1602.

Tuæ Illuſtriſsimæ Celſitatis

Obſeruantiſsimus

Matthæus Dreſſerus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-41139-p0008-7

Illustrissimi Ducis Saxoniæ

Dn. FRIDERICI GVILELMI EXEQVIAE IN ACADEMIÂ Lipsensi pietatis ergò adhibitæ.

VIsus à vobis, Magnifice Dn. Prorector, lectissimiq; Assessores consilij Academici, illustrissimo Principi, ac Domino, Dn. Friderico Guilelmo Saxoniæ Duci parentare, orationem huc affero, non splendore multo, sed pietate tantâ, quantam animus meus concipere potest, refertam. Accommodare enim me studeo ad exemplum Niciæ, qui apud Thucydidem ait; sibi non tàm multa, quàm necessaria, & vtilia esse dicenda. Propositum igitur mihi id erit vnicè, vt extra caussam nihil,

nihil, de re verò ipsâ, quæcunq; possum, commoda, & ad vsus nostros apta exponam. Dignitatem enim orationi per se tenui vestra conciliat autoritas, vtilitatis verò ratio omnis mihi expedienda est. Quid est autem in hoc toto genere, quod aptiùs rebus nostris esse possit, quàm grati animi declaratio erga eum, qui tantoperè de nobis meritus est? Ex meritis igitur huius Ducis materies, & quasi seges totius orationis manabit. Promerita autem quanta, & qualia sint, non aliunde, quàm ex commemoratione actorum eius in VIIui-ratus Saxonici administratione cognoscentur. Itaq; historiam decem annorum, quibus Electoratum Saxoniæ gubernauit, ordine persequemur. Inde enim non tàm principium eius administrationis salutare, quàm progressiones lætæ, & exitus deniq; iucundus maximè conspicietur. Vtinam verò in me ea esset facultas, ac dicendi vis, vt, non dicam exornare, sed enarrare res

tan-

tantas possem. Verùm, quod nobis minùs suppetit, id vt largiatur is, qui fons & autor est omnis sapientiæ, & eloquentiæ IESVS CHRISTVS, prece, & supplicatione humili petimus.

Tempus erat luctu, & squalore plenum, cum caput, & columen Septemuiratus Saxonici CHRISTIANVM I. fata nobis eriperent. In hunc enim non solùm nostri, sed penè totius Germaniæ oculi erant coniecti. In hoc spei & præsidij plurimum, post DEVM immortalem, positum habebamus: hunc propugnatorem & custodem religionis, iusticiæ, pudoris agnoscebamus. Ab hoc tranquillitatem, ocium, pacem, cæteraq; bona à Diuo *Augusto* patre illius relicta expectabamus. Et quidem licuit nobis frui commodis istis, quoad in vitâ ille remansit. Non armis necessarijs destituebamur: non defensione iustâ carebamus: non patrocinium Ecclesia, non scholæ, non politia in parte

vllâ desiderabat. At eheu, hoc ipso duce, & vindice acri, & vigilante, concepta, vel certè attentata est fraus quædam inexpiabilis, cùm quidam aliud longè simulantes, mutare quædam in religione firmis radicibus alioqui defixâ, niterentur. Non enim apertè religio petebatur, sed cuniculis quasi quibusdam oppugnabatur, & identidem tamen illustre & speciosum nomen principis prætexebatur. Inde conuelli cœperunt ritus consensione summâ hactenus in Ecclesiâ conseruati, & à Luthero ipso ad nos translati. His enim initijs orsi, mox labefactare doctrinam ipsam religionis conabantur. Talibus conatibus quicunq; obuiam ibant, aut resistebant, hi sedibus suis conuulsi vel eijciebantur, vel in discrimen existimationis, & fortunarum adducebantur. Recordari hæc possunt multi adhuc superstites, qui gemitibus, & lacrymis ardentibus impendentem calamitatem deplorârunt. Imò

ne conflictanti quidem cum morbo, & cum morte ipsâ principi parcebatur. Adeò longè lateq; indies malum serpebat. Incidit in medium discrimen, & statum miserabilem fatalis exitus principis ex hac vitâ, quem largissimè profusis lacrymis ita prosequebamur, vt eo sublato, neq; spei, neq; præsidij ferè aliquid nobis relictum putaremus.

At euênit inenarrabili clementiâ, atq; beneficio DEI, vt non tàm agnationis iure, in aureâ bullâ expresso, quàm apertâ principis Electoris declaratione, & voluntate, tutela impuberum liberorum, & administratio Electoratus ad Fridericum Guilelmum Saxoniæ ducem illum, de quo nobis sermo est, deferretur. Hic ergò tanquam sidus aliquod faustum, & salutare rebus nostris perturbatis lumen attulit, Electoratum penè in humeros suos extulit, & præsidio, solatioq; suo afflicta omnia recreauit. Hic mœstam viduam inprimis

dulci ſermone affatus, doloris eius acerbitatem non parùm mitigauit. Hic pupillos amplexatus eſt, fouit, in manibus habuit. Hic ſecundum ſapiens Platonis præſcriptum, Reipubl. corpus totum curandum ſuſcepit, nec partem aliquam tutatus eſt, reliquas deſeruit. Autores mutationum ante omnia amouit: exules verò, quibus nullâ ſuâ culpâ munus officij abrogatum erat reſtituit, &, vt in priſtinam dignitatem ac integritatem omnia reducerentur, elaborauit. Habebat ad eam rem parata ſtudia cùm aliorum ordinum, tùm equeſtris etiam, à quo certè adiuuabatur in opere honeſto, pio, & ſalutari, ſtrenuè, officioſè, & fideliter. Tùm conſiliariorum etiam operā experiebatur promtam. Hæc initia erant gubernationis, quæ ita ſeſe dabant, vt tanquam in herbis ſignificarent, quantæ fruges eſſent ſecuturæ.

Quemadmodum autem omnia, quæ fiunt, quæq; aguntur, lenioribus princi-

pijs

pijs natura prætexuit: Ita princeps Administrator noſter omnia ad eum modum egit, vt moderatio, & grauitas cum ſpecie quadam liberali appareret. Accerſitus ego Merſeburgũ, vbi tùm res Eccleſiaſticæ quædam, ſi probè teneo, conſtituebantur, vidi ſtatim formam imperij, iure & pietate plenam: in principe prudentia, & modeſtia admirabilis elucebat, cui pudor honeſtus claram & ſtabilem comparabat autoritatem. Conſiliarios verò videre mihi videbar graues & moderatos, ex quorum ore nil, niſi quod ſanctum, & ad ocium, pacem, & ſalutem Reip. directum eſſet, emanabat. Lætabar mirificè talis aulæ conſpectu, & non tàm mihi, quàm toti Reipub. de tàm commodâ, tranquillâ, & ſalutari gubernatione gratulabar. Nec difficile mihi erat diuinare, quem progreſſum aut exitum ea eſſet habitura. Veniebant mihi in mentem, quæ legeram in ſummis ſapientiæ humanæ autoribus, Platone, & Plutarcho, quo-

rum ille affirmat, nunquam negligià DEO eum, qui propositum habeat DEO obediendi, rectèq; faciendi, tum recta etiam faciat, quoad per humanam infirmitatem licet, hic verò (Plutarchus sc.) iubet principes imitari Solem, qui cum altissimus est, ad polum septentrionalem euectus, tùm minimum mouetur, cursum tutum reddens tarditate. Imaginem equidem talis principis expressam, & viuam intueri me tum putabam, cum videbam principem summo imperio Electoratus præfectum, non nisi quietis consilijs, & clementiâ rebus turbatis medicinam salutarem quærentem, & de commodâ, bonaq; Reip. constitutione dies, & noctes cogitantem. Credo nos vsu ipso iam edoctos, persuasum hoc nobis habere, plus profici moderatis consilijs, quàm vi, & vehementiâ; præsertim, cum cogitatione rectiùs, quàm animi impetu expediri negotia possunt.

Autores autem perturbationis omnis,

tametsi satis nouerat princeps; tamen mirificè temperabat sibi, nec dolore, & iracundiâ longiùs digrediebatur, quàm recta ratio poscit. De Duce verò ipso *Christiano I.* non nisi honorificentissimè & sentiebat, & loquebatur, vt, si per fata licuisset, ex morte eum redire in vitam optâsset. Memini, cum iussu Academiæ orationem funebrem de Christiano I. habuissem, in eaq; laudem, & indolis summæ, & ingenuitatis, magnanimitatisq; maximæ illi tribuissem, antequam peruulgaretur ea, approbata est à Friderico Guilelmo, datumq; hoc responsum: quò laudem maiorem huic principi tribuissem, hóc sibi esse ἀνεέσμα iucundius. Amorem verò erga filios impuberes eximium declarauit, cum statim in exorsu, siue ingressu in administrationis munus curam summam adhibuit, vt ingenuè, liberaliterq; illi educarẽtur, & instruerentur omni cultu veræ pietatis, ac virtutis: delectis ad id viris maximè idoneis, qui

cor-

corpus pariter, & animum rectè conformarent.

Vt autem ordine bono gubernatio tota instituereturr, & feliciùs procederet, more & consuetudine Electorum Saxoniæ conuentum prouincialem indixit, in quo de singulis penè partibus Reip. deliberatio grauis & matura suscepta est. Distincti solent esse in huiusmodi conuentu ordines prælatorum ex diœcesibus tribus, professorum ex Academijs duabus, Comitum, Baronum, Equitum, & Ciuitatum. Nemo istorum omnium inuentus est, qui non animo lubenti & alacri confluxerit, & euentum prosperum salutaremq; expectârit. In hoc conuentu prima cura erat de restituendâ religione, & extirpandis erroribus nonnullis, qui irrepserant. Etsi enim Christianus I. Elector non minùs, quàm pater ipsius D. Augustus, Augustanam confessionem profitebatur: occultè tamen nonnulli Caluinismum sub specie

confessionis Augustanæ inuehere conati erant. Hìc, DEVS bone, quantum studium, quantam diligentiam princeps optimus, ac pietate commemorabili præditus adhibuit, vt DEO honos debitus tribueretur, religio pura secundum Augustanæ confessionis formulam confirmaretur, & cultus in Ecclesia, ceremoniæq; rectè constitutæ, & magno consensu ad illud vsque tempus custoditæ, inuiolatè conseruarentur. Idq; se eò maiori autoritate & firmiore animo facere ostendebat, quòd flagitanti principi Christiano Electori paulò ante mortem stipulatâ manu promisisset, se bonâ fide illud executurum esse. Visus est mihi ille dies omnium penè sanctissimus, & lætissimus, quo vocibus huiusmodi totum palatium personabat: hoc studet, hoc expetit, hoc vnicè exoptat, & vult princeps Administrator, vt religio incorrupta sit in hac regione, vt ceremoniæ receptæ, & hactenus vsurpatæ maneant, vt

Augustanæ confessionis formula illa primigenia, & anno Christi 30. in panegyri omnium celeberrimâ Imperij, & tot exterarum nationum Carolo V. exhibita, nec alia vlla agnoscatur, recipiatur, aut toleretur. His vocibus aliquoties, astante ipso principe, tanquam ex ore eius repetitis, & inculcatis ita incensæ sunt ordinum mentes,& pectora, vt quasi de cœlo sonum audirent, sic applauderent, & sibi, patriæq; gratularentur. Quoniam verò declaratio Confessionis Augustanæ omnis in libro Concordiæ comprehenditur,in eâ acquiescendū esse optimus, maximeq; salutaris princeps arbitrabatur. Nec inanis sonitus verborum hic erat, sed consilium, & ratio efficiendi per visitationem simul ostendebatur, quæ etiam paulò pòst secuta est. Iucundissimum profectò erat spectaculum videre principem sancta, iustâq; proponentem,& subditos omnes voluntatibus, studijs & sententijs assentientes.

Alte-

Altera cura erat, vt in aulâ consiliarij essent prudentes, integri, fideles, & graues, qui non modò ius dicerent, sed æquabilem etiam eius rationem tenerent. Quod vt sine cuiusquam querelâ effici posset, daturum se operam sedulò princeps Administrator pollicebatur. Meminimus tunc ad cancellarij munus, tanquam ab exilio reuocari Dauidem Peiferum, fide, autoritate & vsu rerum maximo præstantem, aliosque nonnullos, quos aduersariorum maleuolentia expulerat. Post politiæ constitutionem ad Academias & Scholas respiciebat, & ne quid in ijs desiderari posset, prouidendum censebat: Tùm si quid erroris, aut impietatis ex Caluinismo irrepsisset, id vt penitùs extirparetur, elaborandum esse iudicabit. Hisce consimilibus vocibus personabant aures nostræ etiam in conuentu Christiani II. cum summâ constantiâ asseuerabat, velle se Academias & Scholas ex animo complecti, foue-

re, atq; tueri. Quanquam autem eo tempore nondum Imperio periculi tantum ex irruptione, & impreſſione Turcicâ imminebat, quantum paulò pòſt exardeſcente bello Vngarico, extitit: tamen, cum in bello non facilè reperiantur præſidia, niſi in pace fuerint quæſita; maturè monuit princeps equeſtrem ordinem, cæterosque adeò ſubditos omnes, vt ſuo quiſq; loco arma, equoſq́; ſemper in promtu haberet, & ad propulſandum quemcunq; impetum hoſtilem expeditum ſe præſtaret. Poſtremò cum de oneribus neceſſarijs ſiue tributis, & collationibus pecuniæ ad conſeruationem politiæ, iudiciorum, & pacis publicæ admonuiſſet; ſcripta quoque infamia, quæ tunc magno numero euolabant, edicto ſatis ſeuero prohibuit. Cuius quidem edicti tanta autoritas fuit, vt ab eo tempore nulla, quod ego ſciam, querela audita ſit.

A comitijs mox ad executionem de-

uen-

uentum est. Delecti enim sunt homines certi, quibus visitatio generalis commissa est. Hi ordine in Academias, iudicia Ecclesiastica, curias, scholas inquisiuerunt, & quamuis ad religionem Augustanæ confessionis, & concordiæ librum neminem impellerent, ne dominari alterius fidei velle viderentur: tamen subscribi articulis, quibus vera sententia de cœnâ sanctâ, de baptismo, de prædestinatiõe & paucis alijs controuersis articulis inter Lutheranos, & Caluinianos continetur, princeps voluit. Qui verò subscribere recusârunt, in eos quidem sæuitum non est, sed munus tantùm publicum, si quod gessissent, ijs abrogatum est. Hac moderatione tantum effectum est, vt amotis his, qui cum Caluino sentirent, non nisi Lutherani secundum veram confessionem Augustanam in publicis muneribus Ecclesiasticis, scholasticis, & politicis relicti sint. Quod si ad imitandum sibi proponere volunt ponti-

ficij, ſimile quidem aliquid in exemplo inueniunt, quod videlicet vtraque religio pontificia & Euangelica ſecundum Auguſtanam confeſſionem in tutelâ, & patrocinio Romani Imperij latet: Sed viderint tamen interim pontificij, quomodo id excuſare poſsint, quod iuxta diuinum mandatum fugientes idololatriam in miſſâ, adoratione panis, inuocatione ſanctorum & alijs doctrinæ Chriſtianæ corruptelis inſectantur, loco mouent, & exterminant. Quàm verò periculoſum eſt ab agnitâ veritate homines auellere, & ad commenta hominum in pontificiâ religione impellere! quod equidem conſiderare cum animis ſuis pontificij accuratius debebant. Hoc modo pacata eſt Eccleſia, & conſenſus in doctrinâ religionis reparatus, qui toto adminiſtrationis tempore firmus, & inviolatus permanſit: ſublatæ ſunt diſſenſiones inteſtinæ: ſopita certamina, & quies multis votis, & precibus ante illud tem-

pus

pus desiderata, & optata in ducatum vniuersum reducta.

Dixeris non immeritò, diuinitus mentem, & consilia huius Ducis fuisse gubernata, qui breui tempore tantum boni in ducatum intulit, quantum ante eum longo tempore multis laboribus, curis, & impensis importari potuit. Augusto Electore quid erat Augustius? quid solertius? quid felicius? quid vigilantius? quid acrius? Religionem veram is ardentiùs, quàm pater bonus vnicam filiolam osculabatur, fouebat, & vrgebat. Tantum deniq; curæ, & operæ in eam ponebat, vt, nisi genuinam confessionem Augustanam teneret, vitam ipsam sibi acerbam esse putaret. Somnum ei eripiebat sæpè solicitudo de rectâ sententiâ verborum Christi in Cœnâ sanctâ, legebat ipse scripta Prophetica & Apostolica, Lutheri item, & alia orthodoxa. Imò intelligebat etiam, & cum eruditis conferre poterat. Et tamen hic magnus

prin-

princeps, quò intenderat, vix tandem pervenire potuit. Autor erat formulæ concordiæ, in qua explicata ſententia articulorum, qui in controuerſiam vocabantur in Auguſtanâ confeſſione, continetur. Et quidem hac ipſâ declaratione luculentâ certamina de religione multò maximâ ex parte in hoc ducatu tollebantur, requieſcere cœpit Eccleſia, & tranquillæ fuerunt ſcholæ. At quàm operoſo & moleſto labore ea quies conſtabat! quanto ſudore parabatur! Fatendum tamen eſt fundamenta conſenſionis, & concordiæ omnis, quæ ſecuta eſt, tunc iacta eſſe, quæ incurrere in difficultatem magnam, cùm res præſertim ardua agitur, ſolent. Ad quæ quidem fundamenta cùm relata ſint ea, quæ ad religionis conſenſum tuendum ſuſcepit Fridericus Guilelmus Adminiſtrator, facilior fuit aliquantò expediendi ratio. Quanquam interim non parùm ſapere cum iure omni fatemur, cui ex ſen-

ten-

tentiâ euentus tuendi id, quod acceperit, processit. Nec minor gratia propugnanti partum bonum, quàm ipsi parienti debetur. Profectò tâm grata erat nobis nuper in conuentu publico vox illustrissimi Electoris Christiani II. cum Augustanam confessionem natiuam illam, & incorruptam secundum concordiæ formulam nobis vnicè commendaret, & contrariam doctrinam in religione omnem vetaret: quàm grata erat ipsius Augusti aui paterni publicata confectæ & absolutæ concordiæ formula. Vt enim hæc summo labore parti, sic illa firmati consensus in religione argumentum erat. Ita vna, eademque & quidem consentiens doctrinæ norma in hoc ducatu custodita est: ab Augusto quidem introducta: à Friderico Guilelmo verò defensa, & quod iure omnes prædicamus, & laudibus in cœlum efferimus, à Christiano II. Electore nostro comprobata & roborata.

Ac ne de Christiani I. animo & voluntate dubitemus, quin idem senserit, voluerit, & tenuerit, satis confirmat nos luculentum testimonium Friderici Guilelmi Administratoris, cuius suprà meminimus. Disertè enim iam mortem penè intra præcordia conceptam continens hoc declarauit Christianus I. cùm à Friderico Guilelmo petijt, vt aliam nullam confessionem, quàm natiuam & incorruptam Augustanam in suis ditionibus, quas relicturus erat, tueri vellet. Est igitur, quod lætemur, tanto consensu continuatam, & custoditam esse doctrinam religionis secundum vnam, eandemq; confessionem, & eiusdem confessionis in Concordiæ libello comprobatam, & receptam declarationem. Pro quo quidem consensu, impij simus, nisi gratias maximas & agamus, & habeamus in primis DEO, cuius benignitas maior in nos esse videtur, quâm in vllam gentem vnquam fuit. Vix enim re-

perias

perias tanto tempore lucem veritatis in vllo loco, aut populo hæsisse, quanto nobiscum commorata est, & adhuc integra, inuiolataque manet. Post DEVM immortalem etiam gratias meritò agimus principibus nostris Saxoniæ tam bene de nobis, Ecclesia, & ditione meritis. Ante alios quidem Henrico Saxoniæ duci, qui Euangelij præconium, integrumq; sacramentorum vsum quasi humeris suis in hunc ducatum importauit, abusus abolcuit, & Ecclesiæ faciem eam, quæ reliqua est inuexit. Post Henricum verò Mauricius Dux, & Elector eiusdem lucis tutorem ac propugnatorem sese præbuit acrem satis, cùm fucatum, fallacem, & erudito artificio illitum nitorem, qui in libro Augustano, cui titulus erat *Interim*, continebatur, à suâ Ecclesia propulsauit & tandem pacem illam, qua nunc hodiè DEI beneficio fruimur, contentione summâ obtinuit. Augusto verò

quas non debemus gratias? qui cùm in contrarias partes distraheretur religio, & collusiones cum Caluinianis miræ tentarentur, arduam quidem curam cogitandi habuit, sed tandem tamen, veritate cognitâ, displosisq; occultationibus insidiosis, perrupit, & faciem veritatis claram, apertamq; protulit, confessionem non aliam, quàm primigeniam sese agniturum, & toleraturum ingenuè professus. Ac ne quis etiam ex posteris aliam in hunc ducatum vel proferret, vel prolatam probaret, fundamento stabili, & in omne tempus duraturo cauit, cùm concordiæ formulam tanquam thesaurum summi precij edidit, & successoribus suis non minori curâ, quàm Electoratum ipsum custodiendum commendauit. Quid de Christiano I. dicam? cuius hæc extrema vox fuit, qua administratorem Electoratus Fridericum Guilelmum ad tuendam primigeniam confessionem Augustanam firmissimè ob

liga-

ligauit, & datâ, acceptaq; dexterâ astrinxit. Cuius quidem obligationis Fridericus Guilelmus tametsi ipse aliud de religione nihil neq; sensit, neq; facere in animo habuit, tamen memor per omne administrationis suæ tempus non vnguem transuersum à confessionis istius formulâ discessit, sed ingenuè, liberaliterq; promisso, ac recepto satisfecit.

Inuentus est vnus, qui veræ ac receptæ doctrinæ de prædestinatione, siue electione hominis ad salutem, & vitam æternam opinionem contrariam proferebat, non contentus simplici, & perspicuâ explicatione Pauli Apostoli, Lutheri & Melanchthonis. Huic propositum idem erat, quod Sophistæ apud Aristophanem, qui ait: cupiebam omnia contrarijs dictis euertere. Disceptatum diu est, refutataq; opinio hominis erronea. Cùmq; ea esset illius pertinacia, vt neque Ecclesiæ tranquillitati

parceret, neque veris rationibus vllis ſeſe vinci pateretur, ad principem administratorem prouocari oportuit, cui animus in deliberando diſtractus curam difficilem cogitandi attulit. Latebat enim in ſubtilitate Sophiſtica quædam ingenioſè ad imponendum incautis excogitata. Itaque temporis ſpacium longius ille concedebat, ne de re non ſatis cognitâ contra autorem nouitatis aliquid ſtatueretur, neué damnari id, quod aliquantò poſt probari poſſet, videretur. Motus quidem ille eſt loco eo, quem in Academiâ tenuerat, ne turbare Eccleſiam amplius poſſet, ſed toleratus tamen in ducatu diutiùs, quàm plerorumque ferebat voluntas. At voluit moderatiſsimus princeps ſuam innatam clementiam etiam in hoc inquieto homine declarare, ne pulſum ſeſe temerè queri iure aliquo poſſet. Tandem tamen, vbi vanitas opinionis, & proteruitas hominis erupit, abi-

re iussus toto ducatu excessit. Ab eo tempore turbarum,& dissidiorum nihil animaduerti potuit.

Scholæ præsertim illustres benignitatem huius principis in se insignem expertæ sunt. Non solùm enim eum statum, in quem à Mauricio, Augusto & Christiano I. collocatæ erant, vt tenerent, effecit, sed quibus deesse necessaria subsidia cognouit, earum indigentiam adminiculis aliunde petitis, subleuauit, nec quiescendum sibi esse arbitratus est, nisi œconomica pariter, & scholastica res rectè constituta esset. Itaque præter inspectores ex familiâ nobili selectos, etiam visitatores ex hac & Vitebergensi Academiâ designatos ordinauit, qui coniunctis operis in statum scholarum omnem diligenter inquirerent, &, si quem defectum, aut excessum deprehenderent, eum vel ipsi, si possent, corrigerent, vel, si id minus, ad ipsius

Celsi-

Celsitatem referrent. Confirmare possumus omni ratione, nullam rem neq; magnam, neque paruam ad ipsum à delectis inspectoribus, & visitatoribus delatam esse, quam non præsenti consilio, & quidem liberaliter explicuerit atq; confecerit.

Habebant ex munificentiâ Christiani I. illustres ludi 60. florinos ad comparandos libros, qui singulis annis distribuerentur scholasticis ijs, qui in examine suam industriam præter cæteros responsionibus, aut scripto aliquo bono declarassent: vt ea donatio incitamentum, & quasi stimulus ad curam, alacritatemq; discentes inflammaret. Hi libri æqualiter in tribus ludis dispertiebantur, vt in vnoquoq; precium 20. florinorum attingerent. Sed cum numerus scholarium in Portensi ludo reliquarum scholarum cœtum superaret, demisse petebatur ab hoc principe administratore, vt illi aliquid adijceret. Quod impetratum est facilè, vt nunc 30. florini ludo

Portenſi, cæteris 20. cuique tribuantur. Quod beneficium quia rarius eſt, ideò prædicandum magis exiſtimo, rogandumq́; DEVM, vt διεργέτας patronos tàm beneficos multos excitet, & langueſcentibus ſcholis, atque Academijs largiatur, ne deficiant neceſſarijs præſidijs, & adiumentis deſtitutæ.

In Academiam hanc ſatis benignum ſeſe præſtitit. Ac ſi alia non eſſet cauſſa gratam illius memoriam in hac Vniuerſitate conſeruandi, ſatis tamen eſſet magna tributi condonatio, quod alij pro cereuiſia penſitare coguntur. Hoc enim certo quodam modo profeſſoribus remiſſum eſt, vt Vitebergenſis Academiæ profeſſoribus in hoc genere æquiparetur. Edidit aliud etiam munificentiæ exemplum erga eos, qui communi victu ἐν τῷ συσσιτίῳ fruuntur. Quod laude immortali dignum eſt, quo nomine maximas gratias ei agere, & habere debemus. Non ergò committemus, vt

eius memoria ex animis nostris vllo tempore effluat. Inciderunt quidem, hoc principe administratore, contentiones aliquæ cum politicis quibusdam de priuilegijs, & iure Academiæ, quæ negotij non parùm facessserunt nobis. Et patuerunt certè aures eius querelis nostris, quoties aliquid petiuimus. Meminimus eum ex legatis Academiæ aliquando quærere, nùm plenè, satisué auditi essent? Quæ vox sanè benignitatis, & clementiæ plena erat, & arguebat eum animo, & voluntate propensâ in vniuersitatem esse. Sed multum momenti in temporibus situm est, quorũ medicinam interdum expectare sapientes oportet, fitq; adeò, vt, quod annus denegauit, id vna suppeditet dies. Interim Dei beneficio integra inuiolataq; manserunt priuilegia Academiæ, & in hunc vsq; diem permanent, immo permansura esse ad posteritatem, quæcunq; futura est, firmissimè nobis persuasum habemus.

De politicâ gubernatione iudicium

mihi

mihi in hac vmbrâ ſcholaſtica non ſumo, &, vt ille in Tragœdiâ ait; quæ principes faciunt, minùs perſpicio. Sed ex factis tamen & euentis ſapientiam, & moderationem huius ducis, & adminiſtratoris inſignem & propè admirabilem cognouimus. Nihil igitur dubitans illud confirmare auſim, præclaram æquabilitatem cùm in vniuerſâ vitâ, tùm in ſingulis actionibus illius deprehenſam eſſe. Quæ ſi virtus eſt, quemadmodum reuerâ eſt, certè virtutis laudem magnam huic principi conciliat, & iure omni à nobis celebratur. Æquabilem enim tenebat rationem morum, & vitæ, tùm iuris etiam, & affectionis erga omnes. De Reipub. ſalute ſemper animum ſolicitum gerebat, cauebatq; attentè, ne quid detrimenti politia ſibi commiſſa caperet. Oblata eſt eius gubernationi tempeſtas formidoloſiſſimi temporis, cum Turcicus tyrannus contra fidem religionemq; in Croatiam infuſus, clade ingen-

ti eam regionem, & finitimas prouincias vastabat, pecudes hominesq́; immanitate penè inauditâ mactabat, in seruitutem abducebat, & in potestatem redigebat, oppida item, & arces oppugnabat, diripiebat, inflammabat. Bacchabatur effrænatus, & præceps iste furor horribiliter in cæde miserorum hominum, & terrorem tremoremq́ue ingentem toti Pannoniæ, Croatiæ & finitimis prouincijs inijciebat. Iusta igitur arma induebat Cæsar noster, vt vim tantam atq; impetum à ceruicibus subditorum propulsaret. Cum principibus igitur imperij consilia priuatim, & publicè in conuentu communicabat, & opem ad restinguendum commne imperij incendium postulabat. Hîc quid fecerit noster administrator nemini obscurum est. Non solùm consilio certo imperatorem adiuuit, sed re etiam, & facto, quam necessariam illam communem defensionem aduersus tantum hostem iudicaret, o-

sten-

ſtendit. Pacem aliquoties tyrannus ille ſeſe expetere ſimulauit, ſed quantum fraudis & inſidiarum in illâ ſimulatione eſſet, non tam Cæſar, quàm princeps noſter adminiſtrator facilè perſpexit. Itaq; contemnendas, & repellendas eſſe iſtas fallaces, inſidioſas, & fucoſas molitiones grauiter cenſuit vterq;, & euentum Deo committendum. At verò ſi ex euentu, qui hoc tempore ſatis eſt triſtis, iudicium facere volumus, minùs probandum conſilium fortè dixerimus. Sed in promtu eſt quid reſpondeamus. Deploro ego quoq; ereptam ex manibus Chriſtianorum Albam regiam, quæ cruentâ victoriâ ſuperiori anno à Cæſarianis recuperabatur. Sed quid dicemus? Belli hæc eſt natura, hæc cõditio, hæc fortuna, hæc facies, quemadmodum amicus meus integerrimus Nicolaus Goblamanus Cæſareæ maieſtatis Secretarius in quadam epiſtolâ ad me ſcripſit. Hic longè optimus miles penè decies, collatis fig-

nis, cum Turcis pugnauit, & tandem in prælio ad Keresty destructum pagum Vngariæ vel obtruncatus, vel abductus est ab hoste. Vincere inquit ille, belli proprium est, vinci, perdere, lucrari. Nam bellum est ludus, cuius sors non euentu, sed exitu, neq; auspicio, sed fine terminatur. Hæc verba illius sunt, quæ cum re, euentuque omnibus ætatibus comprobari videamus. etiam nobis miseris aliquid spei relictum est, & quod vnus annus aufert, id alius pro DEI inexhausta bonitate reddere poterit. Hac spe nos solemur, & vota facere nunquam desistamus, vt exurgat filius DEI, & pro nobis propugnet, tyrannumque truculentum, & blasphemum reprimat. Id tamen ex ijs, quæ acciderunt hactenus, cognoscere non obscurè possumus, consilia de vitandâ pace Turcorum insidiosâ, & fraudulenta necessaria & salutaria fuisse. Plus enim rebus nostris damni dedisset simulata illa, & infida pax

tyranni, quàm apertum dare ſolet bellum. Et quæ obſecro conditio pacis eſt, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi poteſt? vt ſapientiſſimè inquit Cicero.

Non parùm quoque conturbabat imperium irruptio Hiſpanici præſidij ex Belgio, in Iuliacenſem ducatum, & VVeſtphaliæ circulum anno Chriſti 1598. Fiebat autem ea, abſente Alberto archiduce Auſtriæ, qui tamen curam gubernationis in inferiori Germania omnem patrueli ſuo Andreæ Cardinali commendarat. Huius lenitate abuſus Admirans de Arragoniâ militi ſuo prædandi, diripiendi, vaſtandi, & maleficia plurima admittendi licentiam dabat. De tantâ & tàm effrænatâ ad omne ſcelus audaciâ querelæ magnæ, & graues ad noſtrum etiam principem administratorem afferebantur. Ac principes quidem finitimi VVeſtphaliæ diutiùs ſibi morandum haud cenſebant, quin, collectis militaribus copijs, illum impetum ne-

fari-

farium à finibus ſuis repellerent. Noſter verò Adminiſtrator, memor comici ſapientis conſilij, omnia priùs experiri quàm armis decertare melius eſſe arbitrabatur. In mentem enim multa veniebant ei, inprimis, ne Cæſari tàm bono, & commodo repugnare videretur, prouidendum exiſtimabat. Quid enim Cæſar? ſummâ contentione in eam rem, & curam incumbebat, vt ſine armis diſcrimen omne diſcuteretur. De quo genere extant edicta eius ad Andream Cardinalem, & Admirantem de Arragonia tantâ ſeuerita-te ſcripta, quantam rei magnitudo, & atrocitas poſtulauit. Et cum vniuerſas vires, atq; opes ad minuendum furorem Turcicum conferrre ſumma neceſſitas poſtularet, omnes vias perſequebatur Cæſar noſter, quibus bellum inteſtinum intercideretur. Ad eundem finem abſq; vllâ dubitatione longè ſaluberrimum etiam adminiſtrator noſter reſpiciebat, & conſilio po-

tius

tius ac monitis ſalutaribus comprimendam eſſe ferociam Hiſpanicam cenſebat quàm armis. Literas igitur grauitate magnâ ſcriptas ad Andream Cardinalem dedit, quibus eum accuratè monuit, daret operam, vt ab iniuriâ & maleficio miles Hiſpanicus temperaret. A quo cum reſponſum eſſet, non ſolùm vim nullam deinceps imperio illatum iri, ſed de damnis etiam reſarciendis mandatum gubernatori inferioris Burgundiæ, & Admiranti iam tum datum eſſe, acquieſcendum ſibi in iſtâ promiſſione adminiſtrator noſter iudicauit. Et quidni meminerit imperij conſortem atq; principem eſſe Hiſpaniæ regem? Quod ſi igitur Hiſpanum inuaſiſſet, an non commune vinculum imperij oppugnâſſet? Adhæreſcebat quidem illud malum in viſceribus imperij, & arcendum communi ope videbatur. At cum commodiore viâ propulſari poſſet, ſapientiæ fuit, eam non repudiare.

Quod etiam semper mihi persuasi, id nuper adeò confirmatum est, vt dubium omne euanuerit. Colludere cum Hispanis dicebatur à nonnullis administrator noster. Quod crimen summâ constantiâ, & grauitate à se repulit: non se claudicasse, inquiens, aut claudicare velle vnquam in doctrinâ fidei Christianæ, sed quam religionem professus esset ab ineunte ætate, in qua baptisatus, & educatus esset, in eâ se perseuerare vsq; ad extremum vitæ spiritum, per DEI gratiam velle: Imperatori verò cæterisq; principibus, & ordinibus imperij honorem, reuerentiam, amorem, & studium debitum constanter esse tributurum, quamcunq; illi religionem profiterentur. Id quod meminimus ab alijs etiam principibus summæ autoritatis factũ esse, vt videlicet ocium, pax, concordia, & tranquillitas imperio languenti, & defesso maximè necessaria conseruaretur. In animo, et ore habuit administrator noster

ſemper aureũm, & ſanctũ Apoſtoli præce-
ptum: Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt,
cum omnibus hominibus in pace viuite.
Togatæ fortitudinis hæc ſunt opera, patriæ
quidem apprimè vtilia atq; ſalutaria; quip-
pe quæ his præſidijs firmata in bona pace,
& quiete manſit, nullum euidens incom-
modum, nullum periculum graue, nullã
vim, aut impreſſionem hoſtilem ſenſit, &
experta eſt, ſicubi fortè tumultuoſius ali-
quid tentatum, aut cæptum eſt, id non vi,
& impreſſione, ſed conſilio, & ratione ſe-
datum eſt. Intereà ſuum quiſq; emolu-
mentum, quoad eius facere potuit, auxit,
& incrementa ditiones, ac prouinciæ, ſeu
præfecturæ omnes perceperunt. Quod
beneficium agnoſcere nos decet, & gra-
tis mentibus prædicare, ne immemores
DEI ipſius eſſe videamur, ſi eorum,
per quos profecimus, aut bona accepi-
mus, obliuiſcamur, quod fieri ſanè il-
luſtriſſimus noſter Princeps Elector

non vult. Benè enim intelligit pietatem administratori electoratus declaratam ad se etiam, & totam familiam Saxonicam pertinere. Quodq; Administrator de Christiano I. dixit, se laude Christiani I. valdè delectari: idem de hoc administratore absque dubio profitetur Elector noster, sibi iucundissimas esse laudes, quæ administratori tribuantur. Confirmat hanc Christiani nostri Electoris I I. de administratore sententiam ipse exitus, qui testimonium actorum antecedentium esse solet. Quid enim auditum, vel compertum est in exitu administrationis, nisi comprobatio eius per omnes partes? Testis etiam esse potest mutuus consensus, concordia atque coniunctio suauis, quæ ad omne vitæ tempus Domini administratoris durauit. Eadem fide & beneuolentiæ constantiâ nunc prosequitur mortuum administratorem Elector noster Christianus I I. cuius quidem exemplo & præcepto laudabili

nos quoque ſubditi incenſi, beatis manibus adminiſtratoris mortui gratias agimus, proſpera, ſalutariaque omnia largè prolixeq; precantes. Sit ſancta ac inuiolata illius apud nos memoria: maneat debita illi pro meritis gratia: agnoſcamus, & prædicemus literis, & linguis ea, quæ ab illo in nos profecta ſunt commoda. Hæc officioſa pietas noſtra non ſolùm DEO, autori bonorum omnium, grata erit, ſed etiam principi Electori noſtro clementiſſimo Chriſtiano II. iucunda accidet.

Quod igitur ſupereſt, incenſis pectoribus gratias agimus æterno & omnipotenti DEO patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod per principem placidum, commodum & ſalutarem nos totum decennium benignè, clementer & liberaliter gubernauit, fouit, protexit & ſeruauit in bona pace, ocio & tranquillitate, vt operas ſuo quiſq; loco mandatas, & neceſſarias in Eccleſia, politiâ, & in hac etiam Academiâ

obire, & exequi potuerit DEO in primis gratas tùm nobis etiam ipsis, & proximo salutares. Et cum certum sit, bonum, æquum, industrium ac vigilantem principem summum esse DEI donum; profitemur, diuinitus nobis administratorem Fridericum Guilelmum datum esse, vt organum esset, & vicarius summi præsidij & moderationis omnium consiliorum, & studiorum in hoc ducatu. Adeoq; gratiam nos debere immortalem tàm ipsi DEO, quàm huic illius vicario profitemur, quem cum mors vix duos & quadraginta annos natum nobis eripuerit, dolemus sanè, pro eo, ac debemus, grauiter, iacturam tantam, quam non solùm Saxoniæ ducatus, sed totum quoque imperium Romanum fecit. Sentimus enim atq; adeò iure fatemur, multùm profuisse publicè, & priuatim huius principis consilia. Lætabatur superiori anno, se viuo, recuperatam, & ex faucibus immanissimorum Turcorum ereptam esse

Albam regiam, & nisi quid me fallit, fructus is erat consiliorum eius fidelissimorum, quæ cum Rudolpho II. Imperatore communicarat.

Nunc, vix eo extincto, tristissimum nuncium de eadem amissâ, & in hostium potestatem redactâ affertur. Scilicet auferre illum DEO placuit, antequam de funestâ, & lamentabili clade illâ aliquid cognosceret. Beatum verò, quem occultauit Deus, ne tempestatis tàm horrendæ, & formidolosæ, quæ ceruicibus nostris impendet, spectator esset.

Oramus autem DEVM, vt ducem Electorem nostrum Christianum II. cum coniuge regia fratribusq; principibus, ac Dominis nostris clementissimis, tùm viduâ etiam matre, & sororibus inclytis, pro paternâ suâ & immensâ bonitate tueatur, & regat, vt tam publicæ saluti hoc perturbatissimo imperij statu benè, vtiliterque consulat, quàm nos etiam suditos

ſuos complectatur, foueat, defendat, vt pax & concordia ex omni parte in Eccleſia, Scholis & politiâ conſeruetur. Poſtremò vota quoque facimus, vt miſericors DEVS mœſtiſſimæ viduæ ducis Saxoniæ Friderici Guilelmi, adminiſtratoris noſtri, dum tempus tulit, chariſſimi, Annæ Mariæ Philippi Ludouici palatini filiæ, orphanisq; liberis ſolatia, fomentaque dolorum copioſa & ſalutaria ſubminiſtret, ac fletum, luctumque ab oculis, & cordibus eorum abſtergat.

AMEN.

PHI-

PHILIPPI IVLII

D. G. STETINI, POMERANIÆ, CASSVBIORVM ET HENETORVM Ducis, Principis Rugiæ, Comitis Gutzcouiæ, Leoburgi & Buthouiæ Domini, &c. Magnificentissimi Academiæ Lipsensis pro tempore Rectoris, nomine Illustriss. Celsit. Eius Prorector ANDREAS HVMELIVS, V. I. D. Supremæ Curiæ Electoralis Aduocatus, &c.

QVi qualisq; fuerit, dum vita suppeditabat, Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICVS VVILHELMVS, Saxoniæ Dux, ex administratione Electoratus, quam ad annos X. gessit, abundè cognouimus. Cuius quidem merita tametsi recentia sunt, & non solùm nobis, sed toti Imperio Romano cognita: tamen vt repetatur & explicetur eorum recordatio, Illustrissimo nostro Principi Electori Domino Clementissimo curæ est. Itaq; mandatum nobis dedit clementissimum, de celebrandis ac cohonestandis illius exsequijs primo quoq; tempore. Huic præcepto nos, vt subditos decet, piè reuerenterque parere cupientes, diem ad parentationis ritum XV.

huius mensis præfiniuimus. Quemadmodum autem illustrissimus Princeps Elector non parti Academiæ, sed toti corpori celebrationem huius ritus mandat: sic nos etiam pro eâ potestate atq; autoritate, quæ ab Illustrissi. eius Celsitate nobis concessa est, cunctos iurisdictioni nostræ Academicæ subiectos, cuiuscunq; sint ordinis, gradus, aut conditionis, monemus atq; hortamur, vt ad diem præfinitum intra Horam IIX. & IX. matutinam in templo Paulino frequentes conueniant, concionem mentibus deuotis audiant, & coniunctis animis beneficia, quæ Deus misericors nobis per pium & salutare illud suum organum tribuit, celebrent: tum pietatem suam erga defunctum omnibus modis declarent. Id enim debere nos Deo largitori Principis & Administratoris tanti iure omni profitemur. Tum grata erit etiam ista pietas & obedientia nostra Illustriss. Septemuiro nostro Dn. Clementissimo, qui, quò memoria nominis ac meritorum Illustrissimi Principis Administratoris à nobis celebrabitur studiosiùs, eò acceptius ei erit nostrum obediendi Illustriss. ipsius Celsitatis præcepto studium. Imò quicquid obsequij Septemuiratus Administratori mortuo tribuerimus, id sibi Septemuir ipse tributum putabit. Trahimur omnes laudis studio, inquit Cicero, nec ferè vllus inuenitur, qui laboribus susceptis, periculisq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Quod si ita est, & natura fert, vt optimus quisq; nihil præstantius ducat, quàm honestatem & laudem: quod officium præstare

possu-

possumus Principibus nostris iustius & acceptius, quàm si res ab ijs gestas laudibus veris efferamus? Lætabuntur absque dubio manes Illust. Administratoris grata commemoratione actorum eius in Septemuiratus gubernatione. Lætabitur ipse etiam Septemuir noster clementissimus, recordatione & memoriâ rerum benè & vtiliter à tutore & patre carissimo gestarũ. Themistocles certè cum ab eo quæreretur, quod ἀκρόαμα aut cuius vocem libentissimè audiret? respondit, eius à quo sua virtus optimè prædicaretur. Quod si tanta vis est in vera laudatione, vt optimos quosq; maximè afficiat: non dubitabimus, nostræ quoq; parentationis eum finem esse futurum, vt inprimis Deo, qui & ipse delectatur prædicatione suorum beneficiorum, grata, tum mortuo Administratori, Electori verò reliquisq; Saxoniæ Ducibus viuis iucunda accidat. P.P. Lipsiæ, XIV. Oct.

Anno Christi CIↃ. IↃCII.

FINIS.

Alt 566 4m

FINIS.

M. C.

ULB Halle 3
004 965 051

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-41139-p0055-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-41139-p0056-3

A. 66.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000 Kodak LICENSED PRODUCT
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-41139-p00057-9